

plexiones respiciendo, et tum autor ad *Regimen*, ut vocat, *Medicinae* delabitur, varia praescribendo morborum remedia. Sed librarius imperfectum opus destituit. Germani hominis, et fortasse Academiae *Vindob.* Doctoris esse immixta quandoque vernacula nomina docent, ut, dum de *Piscibus* ei fermo est, *Pratfischel*, *grundel*, *choppen*, *schrezen*, *zindel*, *aschen* memorantur.

## CCXLII. VII. 8

847 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 208. 8. non una manu exaratus, rubricis distinctus, et olim *Fratrum sancte Crucis in Dusseldorp* frequentia complectitur: I. incipit *Augustini aurelij Episcopi liber de singularitate clericorum*, et quidem hoc tenore: *Miseram quidem vobis ante tempus epistolam filij carissimi que omnium morum instituta de lege commendans summam omnia continet et (contineret?) quecumque uniuersis clericis generaliter ad dirigendam regulam competunt disciplinae &c.* Adlusio haec ad datam *Regulam* ansam praebere potuit, ut hic *Libellus Augustino* inscriberetur, cui tributae *Clericorum Regulae* Fragmenta profertur in *append. T. I. Opp.* edit. *Maur.* At vero *Libelli* nostri nullum in hac Editione vestigium, quamvis *Codex* etiam *Corbejensis* quidam *Augustini* nomen praeferat. Apud *Cypriani* Editores quaerendus est, et quidem inter

*Subposititia*, quamvis teste *Rigaltio* in *Addend.* p. 480. in *Codice Fossatensi Cypriano* adscriptus sit. Sunt enim alii, qui *Origenem* suboleant, et *Job. Pearsonus* in contrarium abiens ad *Beda* plane tempora respicit, scriptioneque hac *Coelibatum Occidentalis Ecclesiae* urgeri putat. Sed pace docti *Episcopi* dictum fit, nullam in ea controversiam esse cum *Conjugio*, sed cum periculosa solum et suspecta *Clericorum* inter *Mulieres* commoratione; praeterea de *incusationibus Ethnicorum*, de *Gallis* sacerdotibus *Cybeles*, de *Martyribus* et *Martyrio* tanquam de re praesenti agitur, quod sane *Beda* aevo non congruit. Removendus igitur ad anteriora tempora *Libellus*, cujus tamen *Autorem* non magis, ac alii, indicare possum. Sub *Augustini* nomine typis excusus a. 1467. opera *Olrici Zel de Hanau* in 4. mihi objacet. Locus tacetur, quem *Coloniā Agrip.* habeo. Editio rarissima est, et vel ideo cujusvis pretii, quod ejus ductu ad officinam *Zellii* revocari possint complura ejusdem formae *Opuscula*, ad quorum calcem *Typographus* hic et nomen suum et tempus, locumque impressionis subticuit.

II. fol. 59. *Liber* (intervallum erasum) *de beata sufficiencia.* Initium: *Suauitas et origo iusticie domine deus meus. exaudi deprecationem meam in dulcedine gratie tue &c.* Sed inscriptionem rudis *Librarius* mutuatus esse videtur e §. IV. primis verbis: *O sufficiens beati.*

*beatitudo et sufficientia beata! Ceterum disjecta sunt haec membra Meditationum et Orationum Anselmi Cantuar. ut liquet comparanti cum edit. Paris. 1721. a col. 102.*

III. fol. 122. Incipiunt XII. gradus abusiois beati cypriani episcopi. Ita: *Primus gradus abusiois est si sine operibus sapiens et predicator fuerit &c.* Vide Cod. CXCIII. et alios in *Indice*. Nec *Cyprianus* nec *Augustinus* hunc foetum suum velint.

IV. fol. 138. p. 2. Incipiunt XII. fructus sacramenti. Initium: *Legitur in apocalipsi. Ex utraque parte fluminis lignum vite afferens fructus duodecim &c.* Simile quid legitur inter *Opuscula Thomae Aquin. n. LVIII. T. 17.* edit. Rom. 1570. f. sed noster in diversum abit. Testibus utitur: *Ambrosio, Gregorio, Augustino, Hieronymo, Jobanne Chryf. Hilario, Paschasio et Rabano*, unde de aetate conijcies. Ad latus Tituli notatur: *Multum incorrecte.* Et ita est.

*Palladij librum breuiatum per godefridum*

*Accipe curta volens rustica rura colens.*

*Palladium tantum non hic sequor aut galienum*

*Pingitur et cespes floribus iste meis.*

*Ordine sub certo nullo preeunte reperto*

*Scita prius relego. munus et hoc tibi do.*

*Galfridus, Gaufridus*, quin per errorem, ut puto, etiam *Gualterus Anglus* e *Normannis* Poeta Sec. XIII. non inceleber fuit, cognomine *de Vino Salvo, Vine-sauf* seu *Vinesalf*, quod ei cogno-

ni V. fol. 151. *Traetatus de symonia. approbatus per doctores alme universitatis colonien. compositus per venerabilem fratrem dyonysium in carbusia comuentus domus riuremundensis.* Est hic *Dionysius Rickelius a Lewis* vir Deo plenus, ad quem migravit a. 1471. *Traetatus* ejus praesens incipit: *Gratis accepistis, gratis date. Math. 10. Filius dei dominus et saluator cuius tanta est caritas &c.* et a definitione *Simoniae* progreditur per XVIII. *Articulos*, illam maxime *Quaestionem* ventilans: *An pro ingressu in religiosam Familiam aliquid exigi licite possit.* Video tamen apud *Trithemium* et *Petreyum*, alterum huic *Traetatum* a *Dionysio* submissum fuisse tali initio: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Neutrum impressum putem separatim; sed extant in *Collectione Rickeliana* curata a *Ger. Hamontano Colon. 1559. f.*

VI. fol. 175. Incipit liber plantationum.

men adhaesisse ab *Opusculo*, quo *Vinorum* etiam *curam* tradidisse fertur, est *Job. Pitsei* conjectura. Quo major est *Poematum* ejus apud *Leyserum, Fabricium, Tannerum &c.* celebritas, eo parci-

notitia Tractatus oeconomici istius, quo *Petrum de Crescentiis* non parum tempore antecessisset. *Codicem ms.* unicum memorant post *Jameſum Caveus, Seldenus* et *Tannerus* extantem in *Coll. Caji Cantabrig.* culpatque *Tannerus Seldenum* immerito, quasi eum cum *Galfredi Nova Poetria* confundisset, ut verba Cl. Icti in Praef. ad *X. Scriptores Hist. Anglic.* p. 39. expendenti liquet. Ipse interim *Tannerus* versionem *Anglicam* absque loci mentione adfert, inscriptam *Godefridus super Palladium*, quae incipit: *The manner of setting of treis is manyfold and so commune, that we &c.* et certe Opusculum nostrum exprimit, cujus initium: *Modus infercionis arborum multiplex est, sed magis vsitatus et magis communis est, ut euellas &c.* Jam vero doctos Anglos haecenus notatos solo *Godefridi* nomine, quem sibi *Galfridum* suum interpretabantur, contentos Opusculum ipsum nunquam inspexisse, certum est; deprehendissent enim evidenter, *Hominis Alemanni* foetum esse, *Medicique*, qui tamen diversas regiones, puta *Graeciam, Brabantiam, Italiam* vidisset, ut ipse sparsim memorat. Namque, ut rem exemplis declarem, dum fol. 186. de triplici Ceraſorum specie agit, de prima ait: *ista vocantur in vulgari nostro amerellen*; de altera: *vocantur in lingua nostra kyrsen*; de tertia: *vocantur vulgariter weyſſelen.* Fol. 193. de Musto: *quod wirtz dicimus.* Fol. 205. de

*Mucore: quod nos vulgariter schymmel.* Multus praeterea Noſtro sermo de *Franconia, Thuringia, Bauaria.* Ita fol. 190. *Rapam sic fecit quidam in habmbergb maximam. infixit foramen ipsi rape stanti in terra et imposuit foramini aliqua grana seminis rape et creuit maxima.* Simile quid de Raphanis circa *Erfordiam* mihi relatum memini. Fol. 198. *Propter quod ego godfridus multum abominor vinum herbipolense. — Ego eciam cum indigena terre illius coactus sum uidelicet inuitus tale vinum frequenter bibere quia timeo multum perdere rationem et visum. Nix enim est precipua causa cecitatis hominum in franconia. Humulus in thuringia et teda et resina in montanis bauarie propter fumum oculos eorum ledentem.* *Hominem* certe nostratem, Sec. XIV. aut XV. et latino eloquio longe infra *Galfridum* Poetam audimus, qui qua fortuna anglice loqui doctus fuerit, dicere non habeo. Ut vero *Methodum* ejus *Lectori* pandam, VII. ille Tractatibus rem conficit, quorum I. *de plantacionibus arborum.* II. *de vitibus.* III. *de conseruacione fructuum.* IV. *de vindemijs.* V. *de aceto.* VI. *de clareto.* VII. *de vino medicinali* agit. Quivis Tractatus in suos abit Articulos. Ita e I. discas: *De plantacionibus pomorum et pirorum secundum diuersos. Ut poma crescant sine nucleis. Quomodo colorentur poma in ipsa arbore crescentia. Quomodo fiant fructus in ipsa crescentes solutiui. Quomodo arbor*  
vetus

*vetus incipiens ardescere reuiuiscat. Quomodo quidam fructus acetosi efficiantur in arbore dulces. Si uis ut aliqua gemma uel qualiscunque res crescat in pomo. De plantandis arboribus amigdalorum et aulanarum prunorum uel cerusorum uel etiam persicorum, et sic ulterius uera fabulosis mixta, prout ea aetate rerum naturalium cognitio ferebat. Ad calcem: Explicet compendium godfridi de plantationibus arborum per fratrem an-*

*dream podman de arnbem. Anno domini MCCCCLXXIX. ordinis dyaconatus sui primo anno.*

CCXLIII. VIII. C. 25.

Codex membraneus lat. Sec. 207 XII. Folior. 191. f. per duas Columnas eleganter exaratus, rubricis distinctus, bonaeque notae Possessorem prodit sequentibus uersibus, qui in principio *fol. uerso* leguntur:

*Librum presentem patrum dictis redolentem*

*Abbas preclarus fecit scribi Gebehardus.*

*Uirginis eximie digna pro laude marie.*

*Ut peccatorum purgata fece suorum*

*Uirtus uirtutem comitetur ad usque salutem.*

*Istud ad oramen lector respondeat amen.*

Fuit Gebehardus hic Colonienfis Abbas Coenobii *Windbergensis* Ord. Praem. in *Bojaria*, eique per annos L. praefuisse dicitur. Memoria eius recurret infra in Codice, qui I. exhibet *Johannis Cassiani Monachi Massiliensis e Galliae Provincia*, ut firmior fert sententia, oriundi, Scriptoris Sec. V. pii et eruditi sed *Semipelagianismi* labe notati *Classem secundam et tertiam Collationum* siue VII. *Collationes PP. in Thebaide Aegypti*, et VII. *Collationes PP. in ulterioris Aegypti Partibus*, ita, ut absint X. primae *Collationes PP. in Eremito Scythi* seu Σκντρεως. Titulus miniatus hic est: *Incipit prefatio Cassiani eloquentissimi uiri ad Honoratum episcopum (Arelat.) et Eucherium famulum christi. Sunt, qui Honoratus*

*tardius ad Episcopatum euectum fuisse autument, id, quod saltem de Eucherio Lugdunensi certum est. Praefationis initium: Cum uirtutem perfectionis uestre qua uelut magna quedam luminaria &c. Post hanc: Incipiunt capitula collationis Cheremonis, quae exacte cum impressis concordant. Incipit collatio prima abbatis Cheremonis de perfectione. Et sic deinceps quamvis Collationem praebet Elenchus Capp. qui in sola Collatione IV. ab editis variat, quae ibi Capp. XIX. nobis uero XXI. censet, materia tamen utrobique integra. In uniuersum lectio uix quidquam abit ab editione *Francos.* 1722. f. si finem *Collat. ult.* excipias, quem ex *Cod.* adscribo: *quippe cum et profectio lectoris sit, si sublimitatem sensuum contem-**